



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 43. Epistola Universitatis ad Clementem exarata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

criminabatur, & ni a cæptis desisterent, in flumen dejiciendos comminabatur.

§. XLIII.

*Epistola Universitatis ad Clementem acriter perscripta.*

*Hist. Univers. Paris. tom. 4.*

Universitas hac facti indignitate nihil mota, ad Clementem VII. literas virili plane vigore scriptas dedit, in quibus trinam unionis viam Pontifici indicavit, graviter ac libere conquesta contra Petrum de Luna ejus Legatum: tandem impense eum adhortatur, ut alteram ex propositis concordiae viis eligeret. Universitatis constantia atque zelus ubique præclaris encomiis celebrabatur, unde & Coloniensis Academia datis ad eam literis, consilium hac in re petiit. Philippus Alensonii Dux Cardinalium Romanorum Decanus, & Joannes Arragoniæ Rex pariter gratulatorias eidem miserunt epistolas. Ex quibus elucet, quantæ tunc temporis Universitas Parisiensis apud omnes

omnes fuerit æstimationis atque auctoritatis; illa enim omnium pacis negotiorum caput erat, eique tota Europa schismatis extinctionem maximam partem debebat.

## §. XLIV.

*Papa hisce literis indignatus.*

Universitatis Epistola jussu Clementis Papæ in pleno legebatur consistorio, mediam illius partem Papa satis placido excepit animo; verum unice cessionis viam urgeri, & ad Papatus abdicationem admoneri comperiens, tanquam fulmine tactus, supra modum excandescere, e folio surgere, ac vociferari: *Mala & venenosa est Epistola.* Sub idem tempus Universitas hac super re ad Cardinales Avenionenses scripsit, quibus omnibus, excepto Petro de Luna, probabatur consilium. Deputati, qui Academiæ Epistolas deferebant, sine responsoriis, & quidem magna celeritate reditum parabant, suæ salutis timentes. Parisios delati totam